DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-primâ menſis Novembris, Anno Domini M. DCC. LXV.

M. FRANCISCO-FELICITATE COCHU, Doctore Medico, Præſide.

Num Chronicis, Aquæ Minerales vulgo DE MERLANGE?

I.



CHRONICA vero *νοσήματα* ea ſunt in quibus nonniſi longo poſt tempore vel e medio tollitur æger, vel ad priſtinam reſtituitur *εὐεξίαν*. Quos affligunt ita miſere vivunt, ut vita eorum nihil miſerius. Ideo tantum ætatem trahere videntur, ut jugi tormento, ripas Acherontis perpeti quodam quaſi tactu lambere cogantur. Utque horumce veritas melius illuceſcat, adeunda ſunt Noſodochia, & nunc illius habitum licebit inſpicere cujus pulmonales fibras infarciunt tubercula cruda. Genæ pallore eburneæ, marcentes oculi fronti ſtriatæ ſubmiſſi, lapſa genua, nares languidæ aſſiduo pulſu tuſſedinis hiulcæ, quies turbida, & ſuſpiritus cruciatus tarditate vehementior, & tamen eheu! optatæ vix datur mortis copia. Sæva enim mors miſeros illudit, & quæ renuentem ſæpe ſæpius occupat, annuentem nunc effugit. Illic videbis non minori ardore Proſerpinæ limina proſequentes, quorum per totam hepatis ſubſtantiam obſtruuntur canales biliferi. Horum luror deformis, acies oculorum torva, facies buxea, ſitis Tantalea, corpus macie defœdatum, totum corium arens & aridum, fatum lentiori ſerpens gradu incuſant unaquaque horula. Sed & illorum quibus pectus incendit cæca libido, ſuſcitavitque venereos arare ſulcos arvo ſyphilideo, aut thyrſum pangere in mephitico hortulo. Ora puſtulis deformata, frons ut ita dicam cornubus exaſperata, ronchus ſemieroſo palato raucus, membra ulceribus liquantia, hæ ſunt proſtibuli pœnæ, quæ hominem etiam ad orcum ducerent, ſi quæ tulit mala Venus irata, ea relevare diſpliceret Mercurio. Neque de ſcorbuticis tacebo qui vibicibus livedinis totam cutem depicti cruento ſero gingivas madidi, *ὀστεοκόπῳ* dolore ſemper obſeſſi, quo lentiori, eo etiam certiori paſſu ad interitum ruunt. Verum quid ego de calculo laborantibus, qui meiendi deſiderio perpetim vexati, quoties accedunt ad matulam, magnis nixibus & corpore pene in orbem revoluto, lachrymas ut plurimum habent pro lotio? Quid de nodoſa arthritide, quid de paralyſi, epilepſia, melancholia, quid tandem de his ſequioris ſexus diuturnis morbis quorum omnium deſcriptio longiorem certe paginæ modum poſtularet. Hos omnes morbos ſiſtere, lenire, curare, opus Medici. Sunt autem ubi

quibuslibet indiscriminatim remediis non utendum : ubi a mochlicis abstinendum , adhibenda mitiora. Ex Medicorum enim omnium consensu , non pauci extant chronici , incantamentis ut ita dicam potius demulcendi , quam irritamentis debellandi. Tunc non aperto marte gradiendum , sed insidiis vincendum. Hinc quoque ex Medicorun consilio , omnem operam collocare debent ægri istiusmodi , in aëre mutando , alimentis rite seligendis , exercitio recte capessendo , non diutius exacerbandis vigiliis , somno non nimis protrahendo , refrænandis animi pathematibus , non retinendis quæ debent eliminari , non excernendis quæ intra sanguinis alveum refusa ad sanitatem conferre valent. Quædam etiam ex medicamentorum censu tunc temporis non male competunt , sed lenia & ut plurimum a natura præparata & commonstrata. Inter auxilia ex hac postrema classe mutuanda , variæ eminent variarum regionum aquæ minerales , quarum levioribus & subtilioribus principiis præditæ , cæteris anteponendæ veniunt , exquisite tamen habita ratione mineralium quibus prægnant. Nunc enim martiales , nunc calcariæ ; aliis lutulentæ , aliis limpidæ ; quibusdam in modum balnei , cæteris vero propinatæ congruunt : plurimis autem eæ de quibus nunc est sermo [1] ; quod quidem evincere conabimur postquam de chronicorum causis quantum potis erit , brevibus in paragrapho sequenti actum fuerit [2].

I I.

DIUTINORUM morborum ansam præbent causæ cum internæ, tum externæ. De postremis omittemus, utpote quæ raro tolli omnino queunt. Quo enim modo sanandæ istæ cerebri affectiones quæ ortum repetunt a prava cranii figura, sive illud in partu difficili obstetricum imperitia a rotunditate sua pressula deflexerit , sive in vitæ curriculo ab ictibus vel aliis de causis depressionem aliquam passum fuerit ? Quænam erit medela adversus ista viscerum thoracicorum aut abdominalium vitia quæ originem acceperunt a muris illis æneis quibus tenellæ in infantia costarum crates incarcerantur crudeli parentum studio ? Talia genuere mores , contra mores quid Medicina valet ? Causæ chronicorum internæ sunt vel remotæ , vel proximæ. De remotis adhucdum inter Medicos ambigitur , utrum repetendæ sint a solidis an a fluidis ? Melius forsan ex utrisque repeterentur [3]. Proximæ ad mentem Boërhaavii sequentia sunto : vitia nempe sen-

[1] Ut sit nostra Thesis extra aleam , saltem quoad istud, Aquæ Minerales dicuntur eæ quæ aliquam insignem proprietatem præter aquam vulgarem habent. *Varenii Geograph. p.* 189 , *edit. Newton.* Porro hæ dotes demonstrabuntut de aquis *de Merlange*, in §§ III & IV.

[2] Cum receptam vulgo Thesium formam respuere videretur quæstio disputationi hodiernæ subjecta , proposito meo satisfactutum putavi , si argumenta desumerem 1.° a charactere morborum quibus sanandis aptæ videntut & idoneæ aquæ *de Merlange*, 2° ex analysi earumdem aquarum , 3° tandem ex observationibus quas mihi suggerere neutiquam dubitaverunt Medici famigeratissimi, quibus propter istud beneficii maximas gratias in æternum meminero.

[3] Memini legisse in quodam libro , cui titulus erat *Lusus Mathematici*, problema quod sic se habebat : *Si sphæra per foramen nequeat transire, culpandumne foramen , aut culpanda sphæra* ? Si responderetur , *Culpandum foramen* , tunc subsumebatur : Si sphæra minor evaderet foret certè foramen transitu facile. Si econtra *culpandam esse sphæram* , tale erat responsum : Si majori foramine donaretur tabulatum , dic sodes , sphæræne denegaretur aditus ? Idem ferme objiceretur iis qui differunt de chronicorum causa primaria , & tale proponi quiret ænigma : *Sunt-ne fluida chronicorum fontes , vel solida* ? Si dixetis *fluida* , subsumetur : Si fibrarum textura esset rectius ordinata , ad meliorem libellam componerentur fluida. Dicas vice versa a *solidis* originem ducere chronica , & respondebitur : Si munere suo ritè defungerentut fluida , rectius sanc ordinarentur solida. Quot igitur dubia adhucdum manent in medicina ! quot velamina ! Et jam dicas recentiorem Medicinam esse præstantiorem veteri ? Non mehercle. Nihil aut admodum parum profecimus. Evolve veterum

ſim in liquoribus adorta ; vel acuta minus bene ſanata. Multimode autem vitiari poſſunt humores noſtri corporis, nunc acido , nunc auſtero , nunc acri pingui aromatico , pingui inerti , ſalſedine muriatica , alkali, glutinoſo. Longior certe extenderetur ſermo , ſi has omnes cauſas enucleare ferret animus. Ut igitur intelligi queant aquarum mineralium *de Merlange* virtus & operandi modus , ſufficiat leviter pertingere qua ratione iſtæ chronicas affectiones parere valeant. Apud omnes habetur in confeſſo eo tendere iſtorum naturam , ut vel conſtringantur vaſa, vel erodantur vaſcula, inſpiſſentur lymphæ latices, ſanguinea moles diſſolvatur , vel tandem ut quædam ex mox recenſitis connubia ineuntia , junctis viribus machinam corporis oppugnent. Plurimas ex his ſoboleſcere obſtructiones ſive præludat inflammatio , ſive non , extra omne dubium ponitur. Pro tamen varia variorum viſcerum debilitate , illa præ aliis plectuntur. Nunc enim per totum jecur biliarii ſtrangulantur pori , bilis in ſecretione moras ſuſcipiens ſpiſſeſcit difflato per mæandros vehiculo , incruſtantur lapidea mole canales paulatim ſerpit in dies malum , obſtructiſque demum cunctis forinis, brevi cedit hepar in maſſam ſchirrodeam , quæ eo difficilius medelis obtemperat , quo penitiores morbus & antiquiores egit radices. Hunc igitur aggredere dum primis elementis omnem ſævitiem nondum induit , dumque nutritur imbecillis adhuc ignis viribus. Aliquoties primæ digeſtionis organa impetunt ; rabiem ſuam exerunt in glandulas quibus referuntur officinæ chilopoïeticæ , quam ni propriis remediis edom es pariter glandularum obſtructio , oppeſſulantur lactæorum oſtiola, languet nutritio , ad miſeram maciem deformatur æger pene alius furore , pedetimque jam non homo ſed larvale ſimulachrum , amicis ſuis æternum vale dicere cogitur. Multoties etiam harumce cauſarum victima cœditur pulmo , præſertim in iis quibus vel hereditaria debilitas, vel rerum non naturalium abuſus tabem minitantur. Hinc pulmonis tubercula cruda ; hinc ſchirri ; e acia u ce a ; febres hecticæ ; hinc demum poſtquam completis igne veſano c tis præcordiis iſthæc ſymptomata immodice debacchata fuerunt , ad plures migratio. Neque plura narranda ſunt de generatione calculi & de morbis viſcerum uropoeïorum , podagra , ſcorbuto & aliis id genus. Quia enim longum eſt ut jam diximus omnia perſequi , lectoribus tenorem damus cætera ſentiendi.

Quoad vero vitia ab acutis male ſanatis relicta , non difficile eſt conceptu quomodo dum v. g. occipit hepatitis , dum primus morbi inſultus comitem ſibi adjungit febrem, dolorem circa hepatis confinia , croceumque colorem per ægri membra late diffuſum [4] , ſi tunc temporis opportuna non adhibeantur remedia aut parcatur venæ-ſectionibus , diluentibus &c. pro indicatione , non, inquam,difficile eſt conceptu quomodo his in circumſtantiis, inflammatæ & obſtructæ jecinoris partes vel induræſcant , vel ad ſuppurationem vergunt : unde diriores aguntur in poſterum tragœdiæ , tandemque conſummatur vitæ fabula. Similiter & in abdominalium viſcerum

ſcripta qui ſtas pro neotericis , & tunc facile ferre poteris judicium. Sed iſtæ diſputationes his relinquendæ ſunt quibus in muſæis ſuis licet damnoſam conſumere diem in extricandis minimis. Nos vero ad utiliora dirigamus iter.

[4] Symptomata cuncta quibus hepatitis ſeſe prodit , nimis arduum foret delineare. Neque etiam talia tulit animus. Pro enim variis jecinoris partibus quas obſidere poteſt inflammatio, exurgunt aliæ ſymptomatum catervæ , nunc per idiopathiam , nunc per ſympathiam ſive conſenſum. Idem intelligendum eſt de cæteris morbis in quorum mentionem hic & illic incidimus.

inflammationibus, in quibus sæpe sæpius intempestiva drasticorum adhibitione, morbus adaugetur, nedum curetur. Quod enim oleum flammæ, quod sulphur incendio, quod flagellum furiæ, hæc morbi sævitiæ nutrimento faciunt. Idem fere dicas de cæteris quibuslibet acutis. Nos vero postquam de aquarum *de Merlange* analysi tum spontanea tum artificiali disseruerimus, nostrum erit indicare qua virtute acida domando, pinguia & glutinosa diluendo, &c. obstructiones reserent, ægrorum dolores & tormina sedent, sicque chronicis lenimen afferre satagant.

I I I.

JUXTA Monasteriolum Senonum est quidam campus, nomine *Merlange*; quem ambit aër nitidus, circumdant umbræ nemorum, cingunt colles amœni, irrorant latices salutiferi. Hujusce loci lymphæ, nostræ Theseos argumentum. Versus infimum clivuli cujus in roscidas cespites cacumen desinit, qua parte medium spectat solis iter, ibi terra imitus dehiscente, genuina scrobs efformatur ad instar putei. Per hujus vero putei patorem, fons vividus blando scaturire fluxu, in lenem sese undam sensim vibrare, ac mox cisterna quadrata arte confecta excipi per rivulum quem diceres argento vel vitro similem [5]. Hujus fontis aqua visu limpidissima, odoratus organa nullatenus afficit [6]. Ore degustata, prorsus insipida est, nisi aquam sapone leviter imbutam velis dicere sapidam. Aqua stillatitia, pluviatili & etiam fluviatili gravior apparet [7]. Eam cum acidis mineralibus & vegetabilibus experiri lubuit: neque ullum effervescentiæ signum detegere potuimus, nisi gracilissimas cum oleo vitrioli bullulas; quæ etiam forsan vi acidi adscribendæ sunt. Guttis aliquot solutionis alkali [8] mixta,

[5] Dum fieret prima analysis aquarum *de Merlange*, a Salubert. Facultatis Doctoribus, nudo campo saliebant aquæ; nunc vero concha quadrata lapidibus ficta coercentur, & ubi ad quamdam altitudinem adscenderunt. ope ductus fictilis ducuntur in alteram concham priori similem, adeo ut semper limpidæ & ab omni luto alienæ possunt hauriri. Hoc totum muris circumdatur, sicque ab hostium insidiis defenditur.

[6] Nullum omnino aërem elasticum continent, quod experiri per se quisque poterit, si velit aquas nostras in lagena vitrea succutere occluso ope pollicis rostro: nullus tunc audiendus est sibilus. Hinc etiam evectu nihil deperdunt.

[7] Difficile est admodum gravitatem specificam liquorum calculo subjicere. Itaque in ponderanda aqua *de Merlange* hydrometro usi fuimus. In aqua stillatitia, stabat ad gradum 35 $\frac{2}{3}$. & in aquis nostris ad 34. Notandum est gravitates specificas liquorum tali artificio comparatas, esse in ratione inversa altitudinis instrumenti.

[8] Quanquam ad hodiernam quæstionem minime pertineat præsens annotatio, attamen ut talia scribendi fortasse nullus mihi amplius concedetur locus, dicam breviter mihi videri Etymologistas in errore versari circa vocem *Alkali*, quam fingunt originem ducere ex articulo Arabico أَلْ *al*, & verbo قَلْيٌ *kalion*. Ego semper opinatus sum *Alkali* nomen habere ex voce Arabica قِلْيٌ & Græca ἅλς *Sal*. Ut vox قِلْيٌ (a قَلَى *Coxit in sartagine*) Arabibus idem sonat ac nobis *Cinis qui ex Salicornia*, aut aliis similibus combustis *oritur*, mihi verosimile videtur genitivo hujus vocis قِلْيِ *kaliin*, conjunctum fuisse verbum Græcum ἅλς (quo indigitatur Sal marinum κατ᾽ ἐξοχὴν, generice vero omne sal) ut uno verbo exprimeretur sal illud quod lixivio extrahitur e cineribus Salicorniæ, & similium. Inde patet quam malè denominatum fuerit *Alkali Volatile* sal illud quod emitur ex sale Ammoniaco, &c. cum nullam connectionem habeat cum sale cinerum Salicorniæ, nisi quia bellum assiduum gerat cum Acidis Sunt innumera in chemicis nomina quæ permutanda forent, ut erroris ansa omnino tolleretur, artisque elementa redderentur faciliora. Optandum foret ut quidam Chemistæ in se hujus permutationis partes susciperent, & in denominandis chemicis, eamdem sequerentur viam, quam celeberri-

lactis colorem retulit, & paucis post horis vitrei vasis lateribus & fundo adhærebat sedimentum album & tactu pingue, quale aquarum argillosarum.

Idem evenit cum spiritu salis Ammoniaci ope calcis præparati, sed color paulo intensior, sedimentum copia majus.

Cum solutione argenti in acido nitri, color idem, præcipitatum album.

Idem cum solutione plumbi in aceto stillatitio, vel salis Saturni in aqua stillatitia.

Cum solutione aluminis in aqua stillatitia, nihil.

Cum solutione Mercurii in acido nitri, nubeculæ flavæ, præcipitatum subflavum.

Cum lacte mixta, coagulum nullum.

Saponem brevissime & accurratissime solvunt aquæ *de Merlange*.

Ex gallis, tincturam badiam extrahunt.

Ex granis Rhuis, tincturam primo subfuscam, mox atrovirentem.

Ex lignis Indicis, punicantem.

Ex Rheo, atroflavam.

Ex violis demum, virentem.

Animadvertendum etiam nullum per se sedimentum exhibere aquas *de Merlange*. Per menses duode viginti in vasibus vitreis servatæ fuerunt: expectabatur sedimentum, sed incassum.

ANALYSIS.

Spontanea. Circa latera concharum in quibus excipiuntur, incrustationes quædam reperiuntur, ad modum Stalactitum quæ deprehenduntur in cryptis quibusdam. Hi lapides aquæ iisdem pregnant principiis quibus aquæ [9]. Antequam etiam muris circumcingenretur fontes, in locis quos alluebant, ripæ colore quodam flavo tingebantur, de quo consulatur Analysis a saluberrimæ Facultatis Doctoribus instituta [10].

Artificialis. Ex congiis quatuor aquæ *de Merlange*, in sartagine fictili & encausta, igne leni vaporatis, elicitum fuit residuum salino-terreum drachmarum sex & grani unius pondere [11]. Pars hujus residui pulverulenti in acidis solutum fuit cum effervescentia. Pars in aqua stillatitia soluta, cum

mus Linnæus patefecit primus in botanicis. Tunc nomina chemicorum eruerentur ex visceribus rei, non vero ex suis correlationibus, ex inventorum nomine, ex vocibus barbaris, &c. quod opus buccina dignum, tytonibus foret petutile, omnibusque certe Medicis gratissimum.

[9] Facilius etiam in his lapidibus deprehenditur ferrum, quam in aquis. Si enim hæ incrustationes in pulverem redigantur, & in aqua stillatitia mittantur, hujus aquæ colatura cum gallis mixta, exhibet quantocius coagulum & colorem intense nigrum.

[10] *Analyse des Eaux minérales de Merlange, par MM.* CANTWELL, HÉRISSANT, DE LA RIVIÈRE *le jeune, Docteurs-régens de la Faculté de Paris.* pag. 12.

[11] Non possum tamen non fateri quod res est: ex congiis quinque aquæ *de Merlange*, quinque tantum drachmas cum dimidia salino-terrei residui elicere quivi, quamvis igne levissimo vaporarent. Hanc principiorum inopiam aut meæ operationis cum analysi a Doctoribus Saluberr. Facult. instituta discrepantiam, tribui varietati tempestatum anni in quibus operati fuimus. Doctores supradicti operationem suam instituebant in mense Decembri, cum fons principiis uberioribus scatebat, ego autem circa finem Julii, in quo tempore languent fontes ferme omnes soterii. Porro lectorem monitum velim congium unum æquipollere libris vij codicis Medic. Parif. & capere sextarios vj, heminas vero xij.

alkali & ſpiritu ſalis Ammoniaci exhibuit præcipitatum album& unguinoſum quod magnam ſimilitudinem habebat cum terra in aqua calcis contenta [12]. Lixivia hujus reſidui, colatione & vaporatione, apparuit ſal quidam neuter ſali Glauberiano ſat ſimilis, ſed majori pollens amaritudine, aëri libero efflo eſcens & in catino fuſibilis ad inſtar ejuſdem ſalis Glauberii. Si huic ſali inſtillentur guttæ acidi vitriolici concentrati, fumos edit albidos & olentes, quales ſal marinus. Solutio hujuſce ſalis in aqua ſtillatitia, ſolutum mercurium in acido nitri præcipitat in pulverem ſubflavum [13]: alkalicis liquoribus mixta exhibet præcipitatum album & terreum. Tandem ſi pars reſidui ſalino-terrei de quo ſupra, ſolvatur in aqua ſtillatitia & miſceatur infuſis nucum gallarum & Rhuis, mixtio nigricat. Cætera vide cum in analyſi a Saluberr. facultatis Doctoribus inſtituta, tum in nota [14]. Tentavimus etiam num in reſiduis aliquales ferri particulæ magnete ſe proderent, quod nunquam accidit [15].

I V.

EX experimentis & analyſi modo recenſitis, oppido liquet aquas minerales *de Merlange*, militare in numero aquarum quæ nomine *Neutrarum calcarearum* noſcuntur [16], quarum lymphæ admixta ſibi habent ſalem neutrum, ferri paululum & terram calcaream tenuiſſime diſpertitam. Hinc earum vires & operandi modum eruere, non erit difficile.

I. Itaque ut a ventriculi vitiis ordiamur, utpote e quibus ut plurimum pendent alia chronica, non raro ſtomachus & viſcera chylopoïetica acidis turgere deprehenduntur, quo in caſu omnes fere aſſumpti cibi acidam indolem nanciſcuntur. Calore interno quaſi uruntur præcordia: alvus ſtringitur: lac coagulatur in primis viis: borborygmis colicis doloribus crucientur ægri, cæteriſque abdominis torminibus. Hæc ſi diutius indebellata relinquantur, chylus ipſe in tali officina confectus hujus acidi fit particeps, & ut:

[12] *Analyſe, &c. p.* 19.

[13] *Idem, p.* 21.

[14] Sal in aquis *de Merlange* contentus habet aliquid ſingularis. Videtur componi ex duobus ſalibus inſimul chryſtalliſatis, quorum alter formatur ex acido vitriolico & baſi ſalis marini, alter ex acido ſalis marini & baſi terrea. Ut facilius & commodius iſtius ſalis chryſtallos inſpicere quirem, guttam unam ſolutionis ejus microſcopio perluſtrare libuit. Vaporata illa gutta exhibuit chryſtallos exiles, oblongas, pellucidas, aciculis ſimiles, ex utroque latere ſenſim in mucronem deſinentes, quales memini olim vidiſſe expreſſas in obſervationibus Lewenhoeckii de ſale in calce lapidea, n.° 12. fig. *A.* (*Anatomia, ſeu interiora rerum, &c. ab Antonio Lewenhoeck. Lugd. Bat.* 1687 *in*-4.° *pag.* 137.) Chryſtallos alias videre erat quæ ad inſtar litteræ X inſimul per paria jungebantur. Aliarum denique compages foliorum cichoraceorum ad invicem per baſim oppoſitorum imaginem æmulabatur. Chryſtalli hujuſce ſalis conſtanter exiliores erant chryſtallis ſalis Glauberii eadem arte exploratis. Num penderent effectus ſalium in corpore humano, à varia chryſtallorum ſuarum figura & exilitate? ... De aqua reſidua & in chryſtallos cogi indocili. Conf. *Analyſe, &c. p.* 23.

[15] Ne in errorem me duceret aliqualis humiditas polis magneticis aliquoties adhærens, qua pulvis reſiduorum attractionem mentiri poterat, hæc reſidua exploravi acu magnetica; neque ullum deviationis ſignum deprehendere potui. Unde concludere eſt ferrum in aquis noſtris, eſſe in ſtatu perfecte diviſo, ſimul & minori copia.

[16] De aquarum mineralium diviſione, quidquid ibi deſideretur, tamen tacuimus. Rectam enim fontium ſoteriorum diviſionem inſtituere, ſupra captum mentis humanæ credimus. Enimvero natura hic & ubique ſaltus non agnoſcit: ſed veluti peritus fidium modulator qui ab una modulatione in alteram adſcendit vel deſcendit gradatim abſque ulla fere auditorum perceptione, ita & natura a genere in aliud genus ſenſim ſine ſenſu diffluit, adeo ut certi cujuſcumque generis limites neutiquam reperiri queant. Verum in denominandis aquis noſtris, methodum v. g. Wallerii, in Hydrologia ſua delineatam, ſecuti fuimus.

cæteri corporis humani liquores primam indolem a chylo communicatam retinent, qui latices machinam humanam alluendi sunt rore benigno, leni, balsamico, acidi rudimenta secum evehent; constringentur vel etiam erodentur vascula & nedum vergat ad incrementum corporis ciborum assumptio, econtra cedet in animalis perniciem [17]. Porro prima isthæc morbi elementa debellare aquas *de Merlange* unicuique patebit, modo attendere velit principiis quibus prægnant. Terra etenim calcarea simul & ferri frustulis frangentur & obtundentur spicula acidi, & ex miscela utrorumque emerget sal neuter qui cum sale genuino earumdem alvum leniter sollicitare poterit, humoresque corpori inimicos foras eliminare. Si vero jam corporis latices acido imbuantur, tum vasorum lacteorum osculis attractæ, rotam circulationis ingredientur, & alveo sanguinis communi refusæ, acidum latens in vasculis edomabunt unaquaque parte, sicque balsamicas dotes laticum restituent, sine quibus morborum expers vita dari nequit.

Homines alii reperiundi sunt in quibus paries interna ventriculi & tubæ intestinalis mucagine quadam oblinitur, sive genuine talis mucago generetur ventriculi debilitate, sive eadem ortum repetat ex prava ingestorum indole. Nisi hujusce mucaginis rudimenta statim aggrediantur, paulatim vires acquirit, turbantur digestiones dum succi gastrici digestioni opitulantes vix manare queunt, prostratus fit appetitus, pondere quodam gravatur ventriculus, alvus evadit laxior, vermes aliquando generantur, suffocatur nutritio obstructis vasis chyliferis & si lapsu temporis intus tandem resorbeatur ista viscositas, lentor sanguini consiliabitur, secreta liquida *viscoso* prægnabunt, undè tot infarctus in variis visceribus nec remediis facile domabiles. Primo intuitu videre est quomodo tunc aquæ *de Merlange* aquoso suo principio & sale suo neutrali diluere poterunt tales viscositatum farragines, paulatimque de die in dies pravam fluidorum diathesim emendare, & ad meliorem componere crasim.

Sed & multa alia dantur stomachi mala quorum causæ seris nepotibus forsitan melius innotescent. Quidquid autem sit de illis morbis, seu natales ducant ratione motus peristaltici ex debilitate aut rigiditate fibrarum ventriculi, seu ratione vasorum istius visceris oriantur ex stagnationibus, tumoribus, schirris, seu tandem respectu functionis læsæ gasteris causentur ex cruditatibus omni generis, his in affectionibus multum prodesse aquas minerales nostras ex Medicorum observatis hucusque abunde evictum fuit [18].

[17] Innasci in sanguine τὸ ὀξὺ, acidum quid, etiam divo Seni notum erat. Scribit enim in libro *de veteri Medicina*, ἔνι γὰρ ἐν ἀνθρώπῳ, καὶ πικρὸν· καὶ ἁλμυρὸν· καὶ γλυκὺ· καὶ ὀξὺ· καὶ στρυφνὸν· καὶ πλαδαρὸν· καὶ ἄλλα μυρία παντοίας δυνάμιας ἔχοντα, πλῆθός τε καὶ ἰσχύν. Ταῦτα μὲν μεμιγμένα καὶ κεκρημένα... &c. Ἱπποκράτους κῶου βιβλία ἅπαντα. *Basileæ*, 1738, *p.* 8, *lin.* 34. Quot vero pariat incommoda ὅταν τὸ ὀξέος ἀποκριθῇ καὶ αὐτὸ ἐφ᾽ ἑωυτοῦ γονῆται, videre est in ulceribus quibusdam sarcophagis, in herpete, in ægris quibusdam quorum lotium corrodit linteamina non secus ac si acido vitriolico inspersa fuissent, in aliis quorumsudores ita acidi sunt, ut etiam acidorum mineralium vires corrosivas æmulentur, in isto denique vomitu critico, omnium ὀξυτάτῳ, quo peracto convalescebat æger podagricus, de quo consuli possunt, *Medical observations and inquiries vol I. London*, 1758, *p.* 44.

[18] Anno proxime elapso, virgo annorum circiter 40, menstruata & nervosis affectibus identidem cruciata, quoad viscera pneumonica habitudinis sat delicatulæ laborabat ἀνορεξίᾳ jugi. Alvus erat stricta. Ad aquas minerales *de Merlange* confugit, quarum heminas quatuor quotidie propinabat. Octo diebus elapsis magnam copiam humorum mucosorum & bilis flavæ referrorum per alvum egessit. Evanuit ἀνορεξία, ad meliorem libellam sese composuerunt viscera thoracica & adeo fuit allevata, ut bis aut ter iisdem symptomatibus redeuntibus, ad idem remedium semper confugerit eodem semper cum successu. Hæc M. BERTRAND Saluberr. Facult. Doctor.

II. Ex ſupradictis facile deduci poterit quare obſtructionibus adverſentur aquæ noſtræ. Si enim circulationem una cum aliis liquoribus humanis peragere queant, concipietur quomodo agentes huc & illuc qua aqua, qua terra calcarea, qua ferro, qua tandem ſale neutro, aperientes vires exerant & obſtructa vaſa recludant [19]. Sicuti autem quo ſubtiliora ſunt principia, quoque magis diviſa & vehiculo ſuo permixta, eo melius ab orificiis lacteorum exſuguntur, ita quoque noſtrarum aquarum vis per ſe patet utpote quæ terram calcaream attenuatam & *Alchooliſatam* continent, cæteraque principia

2 Vir annotum 40 ſex abhinc ſeptimanis dolotibus acutis ctuciabatur, circa ventriculum qui & ipſe poſt paſtum etiam leviorem intumeſcebar. Alvus erat laxiſſima & dejectiones liquidæ. Excitatus fuit vomitus ope radicis Ipecacuanhæ, & ter hauſir medicamina purgantia. Morbus videbatur remittere, attamen paucis poſt diebus recruduit. Sextarios triginta aquæ *de Merlange* propinavit intra dietum totidem ſpatium, & perfecte ſanatus fuit. Duobus abhinc annis, integerrima gaudet ſanitate.

3 Vir annotum circiter 55 temperamenti bilioſi & ad itam facile proni plurimis abhinc menſibus δυσπεψίᾳ laborabat. Quamvis ut plurimum veſpeti lectum repeteret impranſus, tamen ſemper ventticulus turgebat quaſi è prandio. Pluries etiam quidquid cibi circa meridiem cœnaverat, illud verſus mediam noctem vomitu rejiciebat ἄπεπτον & quale aſſumpſerat. Alvus ſollicitata fuit aquis *de Sedlitz*: deinde intra dies viginti hauſtibus interruptis perduxit aquarum *de Merlange* ſextatios triginta duo. Harum uſu brevi convaluit, & ita reſtituta fuit vis concoctrix ventriculi, ut jam frugali cœna accumbere valet abſque ullo incommodo. Hæc duo M. MORISOT DESLANDES S. F. D.

4 Sunt Monachæ non paucæ regulis adeo auſteris obditæ, ut cibis dyſpeptis quotidie veſci cogantur: unde naſcuntur multæ ventriculi affectiones. In his autem affectionibus multum prodeſſe aquas *de Merlange* obſervavit M. DIONIS Sal. Fac. Doctor, & inter plurima obſervata, ſequens mecum communicavit. Monacha ordinis divi Franciſci doloribus acerbiſſimis vexabatur circa gaſterem, nullaque alimenta ore aſſumere quibat, quin ea ſtatim vomitu rejiceret. Aptis medicaminibus alvus ſollicitata fuit, ſtatimque exhibitæ fuerunt aquæ *de Merlange* una cum lacte mixtæ. Poſt triduum jam ventticulus cibos non reſpuere & digeſtioni favere. Tandem uſu continuo earumdem, elapſo menſe uno, ad integram valetudinem reſtituta fuit.

De efficacia aquarum *de Merlange* in morbis ventriculi præſertim à viſcoſo & inertia ſucci gaſtrici, eadem mihi affirmavit M. LE THIEULIER Senior Sal. Fac. Doctor, multis ductus obſervatis ad eumdem præciſe ſcopum collineantibus.

Ne carduos meos cum floribus alienis miſcere velle videat, de propriis meis obſervationibus taceo, quibus eadem etiam ipſe competi.

[19] Quidam adoleſcens hepatis obſtructione laborabat. Jam ſanguis per totum corpus bile tingebatur: jam deformis lurot ægtum invadebat. Plurima adhibita fuerunt remedia. Sed morbus medicamentorum vim elidebat, illudebat & Medici operam. Uſu continuo aquarum *de Merlange* convaluit æger & nunc incorrupta fruitur ſanitate. Hæc M. DIONIS Sal. Fac. Doctor *Vide etiam infra* [34] 2.

2 Circa finem Septembris 1763 Domina *** dolorem experiebatur in hypocondrio ſiniſtro. Per aliquot dies jam febricitaverat. Percipiebatur tactu tumor qui ſubſtantiam renis occupare videbatur. Aliunde mictus erat difficilis. Præſcripta fuerunt diluentia & relaxantia, quædam etiam minorativa neque oppido infructuoſe. Attamen dolores circa renem perſiſtebant, neque etiam tumor ſubſidebat. Febris iterum ægram corripiebat, meïendi difficultas adaugebat. Advocata fuerunt ſemicupia & remedia ſaponacea & ſolventia. Tunc vero in urinis ſeſe prodidit aliquid tartarei & ſedimenti mucoſi. Tandem verſus finem menſis Novembris urethra exitum conceſſit calculo tenui & fragmentis calculoſis aliquot. Ægram ſemper urgebat febrilis æſtus. Dolores quidem evanuerant, ſed tumor erat ſemper idem. Mictus erat facilior: ægra laborabat ἀνορεξει. Poſt quaſdam acceſſiones febriles, deprehendebatur in lotio tertia vel dimidia pars purulentæ cujuſdam materiei, coloris cineritii. Tunc temporis exhibitæ fuerunt aquæ *de Merlange* quas volupe prolectavit ventriculus. Etenim paucis poſt diebus ἀνορεξις evaneſcere. Deglutita etiam fuit terebinthina utpote quæ diuretica & deterſiva protſus indicabatur. Duobus iſtis medicaminibus tumor ſubſedit, omnino evanuit, ſalutemque recuperavit ægra verſus Aprilem 1764; his abhinc diebus rite & vegete omnes functiones actioneſque ſuas exercere valet. Hæc mecum communicavit M. FUMÉE Sal. Facult. Doctor.

ſua tum ſalina tum metallica, ad ultimam diviſionem coextenſa [20].

III. Cum felici eventu adhiberi poterunt aquæ minerales noſtræ in fluxibus ſanguinolentis, ceu fluxus iſti cauſam agnoſcant ἀναστόμωσιν, ceu διαπήδησιν, ceu διαίρεσιν. [21]. His enim in caſibus quis neſciat quantam palmam obtinent medicamina unguinoſa ſimul & paululum adſtringentia. Tunc ægris perhibentur optimo cum ſucceſſu terræ Bolares quæ tactu unguinoſæ ſed & viribus adſtringentes deprehenduntur. Aquæ *de Merlange* dum per argilloſos ſtratus incertum ſub terra divagantur, quidquid in his alveis unguinoſi deprehenditur, diluunt & ſecum una cum undis ſuis evehunt [22].

IV. Quantum eædem valeant in diſcutiendis doloribus nephreticis, ii ſoli judicare poterunt quibus non latet in iſtis doloribus ſpiſſa mucagine obduci organa uropœa, imprimis cum catheter calculum in veſica jamjam exprobravit. Has mucagines diluit & attenuat aqua *de Merlange* ut jam dictum fuit N°. I. Sed & ægris illis aliud præſtat commodum. Omnibus enim notum eſt aquas omnes calcareas virtute lithontriptica pollere [23]. Uti ergo poterunt aquis noſtris calculoſi & morbis organorum uropœorum obnoxii, neque abſque ſolatio [24].

V. Iiſdem etiam ducti rationibus, podagrici qui inter ſcortula & fercula morbum fere inſanabilem ſibi quæſiverunt, non levidenſe ſolamen percipient hauſtibus aquarum *de Merlange*, ſi modo pergræcantium palato poſſint ſapere aquarum mineralium ſorbillationes.

VI. Eſt quoddam morbi genus quod apud Medicos nervoſi nomen ſortitum eſt [25]. Hic morbus eſt quidam Proteus nullius addictus formæ, ſed multorum larvam induens. Non unam occupat ſedem, ſed eſt totius corporis morbus. Borborygmis vexantur ægri, ructibus acidis. Appetitus

[20] Adeo attenuata ſunt mineralia in aquis noſtris ſoluta, ut trans lagenarum fictilium poros exſudent una cum vehiculo ſuo, ſicuti pluries ipſe expertus ſum.

[21] " Moniali hepatirrhea laboranti, cum torminibus abdominis, quam nulla levabant me-
„ dicamina, purgantia vel levia ſociata etiam cum opiaticis reſpuenti, præſcripſi pluries maximo
„ ægræ virginis levamini aquas *de Merlange* quæ purgant leniter primis diebus, ſed randem ſopiunt
„ dolores, & res ad meliorem ſtatum reducunt, qui ſtatus idem remanet per aliquor menſes,
„ rediturus deinde, poſteaque eodem remedio mitigandus „. Hactenus M. MACQUART. S. F. Doc.

2. Ægro mictu ſanguinis duobus abhinc annis continuo laboranti, aquas noſtras præſcripſit M. MORISOT DESLANDES Sal. Fac. Doctor, & quidem cum bonis ægri rebus. Quia tamen nondum perfecte ſanatus eſt æger ille, hanc obſervationem manu ſua exarare noluit idem Doctor. Non iraſcetur mihi, ut opinor, ſi quæ reticenda voluit, ea ibi publici juris facere auſus ſim. Æger enim ille per annos duos mictu cruento perpetim vexatus, uſu aquarum noſtrarum per menſis unius ſpatium ab hoc morbo immunis evaſit : maximaque ſpes ſupereſt, illum tandem hauſtibus repetitis ejuſdem fontis, ſalutem omnino recuperaturum.

[22] In campo dicto *de Merlange* reperitur argilla qua utuntur incolæ ad lancarum illuviem detergendam. *Analyſe*, &c. p. 11, 32, 33. Videre etiam eſt in ſuperficie fontium *de Merlange* quidam quaſi ſtratus vel illitus oleaginoſus, lymphis innatans, & halonis diverſimode pictos colores grato referens ſpectaculo.

[23[RUTTY (John(M. D. *A Methodical Sinopſis of Mineral Waters*, &c. in-4o. *London*, 1757. p. 476.

[24] Audivi ex M. FUMÉE Sal. Fac. Doctore M. * * * nephreticis doloribus obſeſſum cum perpetuo meïendi deſiderio & paucis urinis, ſibi magnum levamen conciliaſſe hauſtibus aquarum *de Merlange*, adeo ut jam ſat quietus officio ſuo facile defungi queat.

2. " Doloribus colicis renalibus laboranti, iſchuria ſæpe cruciatæ & multos lapillos & arenas
„ cum urinis ejicienti, præſcripſi aquas *de Merlange* maximo cum ſucceſſu ; ſpero etiam uſu
„ earumdem mali fomitem exhauriendum & eradicandum „. M. MACQUART Sal. Fac. Doctor.

[25] Nervoſi morbi hac die vocantur omnes fere ægritudines anomalæ & quæ typum nullum ſervant, ſed Medicorum ratiocinia eludunt. Gallice nuncupantur *Vapeurs*, *Maladies Hyſtériques*, *Hypocondriaques*, &c.

nullus, vomitus aquofi vel pituitofi, digeftiones pravæ, debilitates, defiderium edulliorum variorum vel horum quæ nutritioni prorfus inepta funt. Ventriculi inflatio & tumor præfertim poft paftum [26]. Aliquoties dolor in ventriculo, oppreffiones circa præcordia, anxietates, pulfationes circa abdomen, fpafmi inteftinorum, &c. Mictus limpidi, fputitio frequens, æftus fubiti per totum corpus, frigus circa alias partes, dolores erratici, lypothymiæ frequentes & fucceffivæ, &c. Cephalalgiæ, vertigines, fcotomiæ, vigiliæ continuæ, fomnia turbida, incubus, cogitationes lutulentæ, &c. [27]. Ut horumce caufæ latent imprimis in vifceribus vel inguigitatis, vel aliqua materie nociva turgentibus, vel tandem nimia nervorum fenfibilitate præditis, nullis ut opinamur mirum videbitur, fi his in circumftantiis aquas noftras propinandas fuademus, fique quod cecinit Horatius de Digentia, fonti noftro infcribere audemus,

Fons etiam rivo nomen dare idoneus, ut nec
Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus,
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.

& revera ex obfervatis, nervofis in affectionibus virtutes fuas produnt aquæ minerales pleræque [28].

VII. Chironia emendare & fanare ulcera [29], aquarum calcarearum eft proprium, ut conftat obfervatione [30]: eædem etiam cancerofa leniunt & fopiunt. Tentare idcirco poterunt Medici quid valeant aquæ noftræ his in morbis. Nec fpem, ut hariolamur, fallet eventus [31].

VIII. Ad cutaneos morbos expellendos plurimum valere, aquas *de Merlange* verofimile eft, five intus affumantur, five extus in modum balnei. Quan-

[26] An hic referendi fint morbi de quibus nota [18] 1, 2 & 3. An etiam hic referenda obfervatio M. DANIÉ DESPATUREAUX Sal. Fac. Doctoris? Anno 1762, nobilis femina 34 annorum poft mœrores diutinos cœpit laborare quadam fuffocatione & anxietate circa præcordia, in primo digeftionis æftu. Hæ fuffocationes manebant ufque dum è gafteris carcere magnis nixibus erumperet ructus cum explofione. Multis medicaminibus ufa fuit nullo fucceffu. Ad incitas demum redacta, aquarum *de Merlange* feptem congios ebibit, ebibit & falutem. Intra enim paucarum hebdomadum fpatium, perfecte convaluit.

[27] De nervoforum affectuum fymptomis & caufis qui plura fcire cupient, adeant CHEINE (George) M. D. *The English Malady*, &c. TRALLES (Balthaf Ludov.) *Ufus Opii falubris & noxius in morborum medela*, &c. Sect. III. WHYTT (Robert) M. D. *Obfervations on the Nature, Caufes and Cure of thofe Difcorders which have been commonly called Nervous, Hypocondriac or Hyfteric*, &c.

[28] Imprimis tamen noftræ quæ vim folutivam fed & fedativam præ aliis obtinent. "*Elles m'ont paru convenir furtout quand il s'agit de fondre, & que l'on craint d'irriter* (inquit M. LE THIEULLIER fenior Sal. Fac. Doctor). *Les* mélancholiques, *les malades* foupçonnés d'engorgemens dans les vifcères, *ou fujets aux* affections nerveufes *en ont éprouvé les plus grands avantages*,". Virtus autem peculiaris aquarum *de Merlange* faltem a nobis obfervata (inquit M. Macquart Sal. Fac. Doctor) eft *opiatica*, & fub hoc refpectu fæpe anteponendæ funt cæteris, in quibufdam morbis". Eadem mihi fanctiffime affirmarunt cæteri Fac. Sal. Doctores qui eas in auxilium advocarunt. *Conf. inferius* [34]. 2.

[29] Ulcera κακοήθεα dicuntur etiam Chironia eo quod a folo Chirone poffint fanari. Quidam tamen hujus vocis etymologiam defumere malunt a χεῖρον quod Græcis fignificat pejus. Alii etiam Satirici id repetunt a χεὶρ manus, quia ex iis ulceribus lucrum non leve faciant Agyrtæ. In hoc fenfu Sidonius Apollinaris *Libr. Epift.* 12, debacchans in Juftum Medicaftrum, qui ex ipfis ftatuis farinam exigebat, fcribit eum effe *Chironia magis inftitutum arte quam Machaonia.* Sed ifta ὡς ἐν παρόδῳ.

[30] Conf. RUTTY, in opere fupra allegato, p. 474, & alibi paffim.

[31] " Alteri etiam virgini moniali fluxui alvi cum doloribus uteri obnoxiæ ab aliquot annis, præfcribo eafdem aquas cum levamine maximo; ægra has fibi valde gratulatur aquas, quamvis omnino non fanetur". Hæc M. MACQUART Salub. Fac. Doctor.

tum enim famæ ſibi vindicarunt aquæ *de Ste. Reine* in ſcabie, impetigine &c. omnibus innotuit. Aquæ vero *de Merlange* iiſdem mineralibus turgent ac aquæ montis Alęſii, niſi in his poſtremis paulo plus ſolvi chalybis dicere velis [32].

IX. Tandem ne longius progrediamur, agmen claudemus dicendo aquas noſtras omnibus eſſe idoneas quibus delicatiora ſunt viſcera, iis qui morbis ab acido, a pingui, a viſcoſo obnoxii ſunt, mulieribus quæ menorrhagiis decumbunt, quæ menſium ſupreſſione laborant [33], iis qui fluxu ſeminis benigno aut virulento vexantur [34], virginibus quæ fluxu albo debilitantur [34]. Adhiberi poterunt in hemiplegiis, epilepſiis periodicis a ſaburra. Optimo cum ſucceſſu viam ſternent aquis aliis mineralibus quæ abſque prævia ægrorum præparatione tuto propinari nequeunt, ut aquis *de Plombieres*, *de Vichy* &c. Ebibendæ ſunt ad inſtar cæterarum aquarum mineralium, incipiendo a parva doſi, & pedatim progrediendo ad majorem. Qui earum vim purgativam adaugere cupient, poterunt in iis ſolvere abſque ullo periculo drachmas aliquot ſalis cujuſlibet neutri, aut aliud medicamentum purgans, &c. &c. &c.

V.

NULLA eſt propoſitio tam certa & tam evidens, quæ tamen ab objectionibus omnino poſſit eſſe tuta. Neque noſtra meliori fruitur ſorte. Primo etenim dicetur exiguæ aut ſaltem raræ prorſus utilitatis eſſe metallica & abſorbentia; ſed & ſalia in re medica, dum difficile eſt admodum ut ne dicatur impoſſibile, iſta vaſorum lacteorum oſtiola perreptare poſſe [35], ſicque laticibus noſtri corporis permiſceri. Secundo objicietur illud quod vulgo de aquis mineralibus in genere dicitur; eas nimirum non agere niſi lapſu temporis & niſi quotidie quadam copia ingurgitentur, quod ægrorum palato ingratiſſimum, ventriculo aliquoties noxium. Tertio tandem noſtram Theſim inſimulabunt malevoli, eo quod chronica originem ducant ut plurimum ex ventriculi debilitate, cui debilitati adhuc favere

[32] Illud mihi facile fuit expriri anno proxime elapſo, in itinere meo ad montem Alyſium.

[33] Adoleſcentula quædam catameniorum ſuppreſſione laborabat. In vicem humani coloris, facies ipſius pallore nimio defœdebatur. Exhibita fuerunt remedia idonea: deinde aquarum noſtrarum facta fuit mentio. Placuit ſalubre conſilium. Intra unius menſis ſpatium menſtruata fuit virgo, perfecteque ſanata.

[34] Aliam adoleſcentulam torquebat fluor albus; huic accedit ex coïtu impuro gonorrhea virulenta. Una cum ſolitis remediis, pro ptiſanna hauſit aquas minerales noſtras, quarum ſextarios quatuor quotidie ſorbillabat. Elapſis ſex hebdomadibus, a gonorrhea evaſit libera, paulatim de die in dies ſubſedit fluor albus, & abhinc iſto tempore priſtinam ac titubantem valetudinem cum firma & vegeta permutavit. Hanc obſervationem & ſupra commemoratam nota [33], mihi ſubminiſtravit M. DIONIS Saluberr. Fac. Doctor.

2. Eadem prorſus quæ ſupra de aquarum noſtrarum virtutibus obſervavit M. GUILBERT DE PREVAL, S. F. D. qui eas multis ægris cum ſucceſſu exhibuit in obſtructionibus glandularum, irritationibus plexuum nerveorum imi ventris, in gonorrheis, fluoribus albis, &c: ſed imprimis Dominæ. * * * Hæc tumore in abdomine laborabat, qui dum intumeſcebat acerbiſſimis doloribus ægram cruciabat. Quin & crus dextrum per vices etiam intumeſcebat, ibique percipiebatur quaſi ſphærula ex tenſione muſculorum contranaturali adorta. Incaſſum adhibita fuerunt cætera medicamina, ſola aqua *de Merlange* res ad ſtatum meliorem perduxit, &c.

[35] Ingenioſiſſimus D. WRIGHT jejuno horis abhinc 36 cani, degluciendam præbuit libram unam panis & lactis, quibuſcum miſcuerat unciam unam cum dimidia ſalis martis in S. Q. aquæ ſoluti & colati. Elapſa hora una, canem eviſceravit, ex thoracico ductu unciam fere dimidiam chyli collegit, illum cum tinctura nucum gallarum miſcuit abſque ulla coloris mutatione, quamvis idem chylus cum quarta parte grani unius ſalis ejuſdem martis, ex infuſo nucum gallarum acquireret colorem atro purpureum. *Vid. Philoſophical Tranſact. ann. 1750. vol. L. part. ij. p. 595.*

videtur aquarum epotatio, quæ gasteris fibras & vires concoctrices relaxat. Sed quis primo intuitu non videat ista potius esse joco disputantium oblectamenta, quam serio accusantium objectacula? His tamen omnibus respondere paucis tentabimus, ne si quid ex frivolis prætererimus, videamur cuipiam ea agnovisse, non vero contempsisse. Quoad igitur primum, respondebimus maximam interesse discrepantiam inter mineralia quæ quotidie perhibentur deglutienda (& quæ tamen haud prorsus inutilia, imprimis si debellandorum morborum causæ in primis regionibus hæreant) & mineralia in aquis nostris mixta, quæ quidem in statu adeo diviso & tenui ibi diluuntur, ut nullæ sint corporis nostri latebræ ipsis imperviæ. Enimvero ut tenuitatis istius ratio quædam possit haberi, jam diximus nota [20] cuncta mineralia aquarum nostrarum una cum vehiculo suo trans mæandros vasorum fictilium quibus asservantur, exsudare. Porro nullum est vas lacteum quod non constet orificio majori mæandris lagenarum de quibus loquimur, quæ ex terra Cos fictæ, aliquid naturæ vitri retinent quoad immeabilitatem. Sponte igitur ruit prima objectio, quæ aliunde observatis abunde repugnaret, ut satis quisque noscit. Quoad secundum, non possumus diffiteri usum aquarum mineralium debere esse diuturnum. Sed exinde nullum telum adversus nostram Thesim. Quot enim alia medicamina & quidem ægris ingratissima, quorum usus per menses & etiam per annos protrahitur. Ubi rosæ, ibi & spinæ. Mel felle tegitur, & si impræsentiarum medicamina nostra ægris non sapiant, saltem in posterum spes affulget melioris diei. De autem postremo objectu, parum abest quin taceamus. Eum ne nauci quidem dignum putamus. Jam enim supra demonstravimus aquas nostras morbis ventriculi plurimum adversari, nedum iisdem famulentur. Et aliunde si Medicos teneat metus ne debilitatem ventriculi adaugeant aquarum nostrarum potus, quid impedit quominus misceantur cum medicaminibus roborantibus aliquot, v. g. cum liquoribus spirituosis, vinis generosis, aquæ-vitæ cyathulo, &c. nihil profecto. Tunc debilitatis ventriculi viribus prospiceretur, simul & chronicis quibus congruere possunt aquæ nostræ. Solvuntur itaque omnes nodi, rectoque filo ducimur ad consequentiam,

Ergo Chronicis, Aquæ Minerales vulgo DE MERLANGE.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Martinus NOUGUEZ.	*M. Joannes* MAC MAHON, *Antiquus Exercituum Regis & Nosocomiorum Militarium Medicus, Regiæ Scholæ Militaris Medicus ordinarius.*	*M. Stephanus* POURFOUR DU PETIT.
M. Ludovicus-Alexander GERVAISE.	*M. Franciscus* THIERY.	*M. Paschalius* BORIE.
M. Ambrosius HOSTY.	*M. Anna - Claudius* DORIGNY.	*M. Florentius - Carolus* BELLOT.

Proponebat Parisiis EDMUNDUS-CLAUDIUS BOURRU, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor. A. R. S. H. 1765. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis F. A. QUILLAU, Universit. & Facult. Med. Typographi, 1765.